

Heinrich Rudolph Redecker

**Heinricus Rudolphus Redeker/ Iur. D. P.P. & p.t. Amplissimae Facultatis iuridicae  
Decanus ... Ad Disputationem Inauguralem Quam De Cursoribus Publicis, quos  
Postas vocamus Vir Praecellens Dn. Lucas Coch/ Gustroviensis ... Die 20. Martii  
... publico Doctorum examini submittere cupit. Magnificum Dn. Rectorem  
Professores ... invitat**

Rostochii: Kilius, [1662]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735211035>

Druck Freier  Zugang



Öffentliches Läufer  
= Post


RU jur. 1662

Heinrich Rudolf Redeker, Präs.

Lukas Koch, Resp.

mit Programm

1a



31  
HEINRICUS RU-  
DOLPHUS Redeker / Jur. D.

P. P. & p. t. Amplissimæ Fa-  
cultatis juridicæ Decanus  
Suo & Amplifs. Facultatis nomine

Ad  
Disputationem Inauguralem,

Quam  
De

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

66.  
CURSORI-  
BUS PUBLICIS,

quos POSTAS vocamus

Vir Præcellens

DN. LUCAS COCHL Gustroviensis

J. U. Candidatus

Sereniss. Ducis Mechlenb. Secretarius.

Die 20. Martii solemniter pro consequendis summis in jure honoribus ac privilegiis, publico Doctorum examini submittere cupit.

Magnificum Dn. Rectorem

Professores Excellentissimos, Consules Reipb. Urb. gravissimos, Doctores ac Licentiatos amplissimos, Senatores prudentissimos, Ecclesiastas vigilantissimos, Magistros & Studiosos genere, virtute ac eruditione florentissimos, & deniq; omnes literatos & literarum Fautores, debita cum humanitate officiose invitat.

ROSTOCKII, Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

Salutem!

**P**omponius JC. quando in l. 2. de O. J. præcellentissimorum JCtorum veterum catalogum recenset, non inter postremos Q. Aelium Tuberonem numerat, eumq; inde maxime laudat, quod doctissimus fuerit habitus juris publici ac privati: neq; immeritò, quia totius studii juris duæ sunt positiones h. e. objecta quæ DD. sollicitam interpretationem desiderant. Uti enim prudens Legislator omnem curam eò intendit ut negotia politica quæ vel Statum Reipb: vel singulorum utilitatem respiciunt, ad tenorem rectæ rationis formentur: Ita omnis is qui juris studio gloriosam navat operam, indefessa sedulitate anniti debet, ut in vasto juris latifundio vadum utriusq; oceani percurrat. Turpe olim erat Servio Sulpitio quod jus civitatis in qua versabatur ignoraret, & ideo à Q. Mutio juste reprehensus videtur: Ita & hodie turpe est juris studioso, si utriusq; juris civilis principia solide non hauserit. Quomodo reprehensionem Q. Mutii poterit effugere, qui vel de privato vel de publico jure interrogatus, tacendo respondet, vel cum voce Nescio debita scientiæ carentiam divulgat. Apud viros probatos certè in confesso est, eum demum excellentis Doctoris laudem & encomium mereri, qui præcepta publici ac privati juris simul ita in succum & sanguinem convertit, ut consultus respondere non erubescat. Quis enim tam ambitiosus esse audeat, qui Jurisprudentiis nomen sibi sumeret, si alteram tantum civilis sapientiæ partem quæ de singulorum utilitate agit, absolvisset: cum sciat, vel nisi crassam & affectatam prodere velit ignorantiam scire debeat, celebriorem jurisprudentiæ partem circa jus publicum, quod regiminis publici principia continet versari. Et boni Professoris officium quod in l. 7. C. de Professorib. & Med. describitur, inter alia sacerdotis juris requisita imprimis facundiam exigit: Sed quomodo facundus in causis civilibus esse potest, qui subtilitatibus juris privati totus deditus, elegantiores juris publici flores, quibus ipsum civitatis jus continetur negligit. Qui privato juri tantum insudant, neq; publicis rerum pb. legibus delectantur, illis grammaticis similes esse videntur, qui syntaxin negligunt. Vix enim est quin in Principiata  
juris

7  
juris committant, qui principia & praecepta tam publici quam privati  
juris vix extremis tetigerunt labiis. Studiosos juris ita fingendos in Aca-  
demiis Imperator Justinianus vult, ut illis studio academico feliciter  
per acto & opere perfecto, possit Resp. in partibus gubernanda credi: Quis  
demens illi committeret Reipb. administrationem, qui demum illo deberet  
tempore fundamenta status addiscere, cum jam est rei gerenda admotus.  
Non bene leges in judiciis applicantur, nisi in Academiis antea sint probe  
memoriae infixae: Ideo enim leges in Scholis diglutiuntur ut in foro dige-  
rantur. Nam quemadmodum inani studio se macerant, qui umbratili-  
bus dissertationibus juris privati perpetuo insistent; Ita ad egregia  
Reipb. munia enutriuntur, qui in Scholis discunt quod in curiis appli-  
cant. Nemo nisi communi sensu motus inter erudite politos negabit Au-  
ream Bullam Car. IV. Imperatoris, quae dicitur summissimum Imperii pal-  
ladium, & immota petra super qua pax & Majestas Imperii Romani tuto  
quiescit, uti etiam Recessus Imperii & alias pragmaticas sanctiones ideo  
juris publici factas esse, ut in civium honoratiorum notitiam deveniant.  
Insuper utriusque juris tam arcta est cognatio, ut unum ab altero sine mon-  
struosa dismembratione cum extremo tandem interitu totius non possit  
avelli. Siquidem juris publici scientia si à privati juris studio seque-  
stretur, hoc in rabulariam degeneraret & illud in mutilatam redigere-  
tur structuram. Adeoque illi veri Juris Consulti censendi sunt, qui non  
tantum ambigua causarum fata dirimunt, sed etiam simul uti Leo Im-  
perator loquitur, in rebus publicis lapsa erigunt & fatigata reparant, &  
ita privatorum causas orare, decidere, & eadem facilitate publico re-  
gimini praesse norunt. Inde dubio procul publici juris peritia eò præ-  
clarior jure aestimatur, quò materia qualitas sublimior censetur. Testan-  
tur etiam comitia Imperii, & in illis, promulgati Imperii Recessus, quod  
non aliorum quam Jctorum opera negotia Imperii ibidem ventilantur,  
& in concinnum ordinem rediguntur. Quare partiaris Doctor foret qui  
in delubra juris publici nunquam exspatiaretur. Unde non tantum prisci  
verum etiam moderni Juris prudentes ab utriusque juris prudentia, si eam  
cum laude immortalis nominis tractarint, merito commendantur. Præ-  
cellens

cellens Dominus LUCAS COCH Juris Utriusq; Candid. præ-  
clarus, cum egregiam illam publici ac privati juris harmoniam penitus  
inspiceret, talem loco disputationis inauguralis, quâ summos in jure  
honores & privilegia Doctoralia consequi studet, conscripsit dissertatio-  
nem (DE CURSORIBUS PUBLICIS quos POSTAS vocamus)  
quæ judex esse possit sufficientissimus illum utriusq; juris esse studiosum.  
Quare propter eximios illos quos in utroq; jure fecit progressus, cum Q.  
Ælio Tuberone etiam laudem jure meretur. Nam sicuti boni ac inculpatis  
mores, & facunda eruditio virum quemvis efficiunt celebrè, ita Dominus  
Candidatus suam juventutem tam providè instituit, ut laudabiles ejus cona-  
tus reticere vel confodere censoris esset iniquissimi. Ut itaq; pro con-  
sueto more curriculum ejus vitæ recensurus ordine procedam, & tam  
originem & infantiam, quàm adultiores annos obiter percurram.  
Natus est Dn. Cand. in Illustri loco, antiqua scilicet Serenissimorum  
Ducum Mecklenburgicorum residentia quæ GUSTROVII est. Pa-  
trem laudat Virum Nobilissimum Amplissimum & Consultissimum DN.  
CASPAREM COCH | J. U. L. clarissimum, Lemgoviensem Westfalum, qui  
cū post emensa studiorum curricula causas privatorum cū egregio  
dexteritatis encomio diu multumq; orasset, propter indeptam  
ex meritis optimam opinionem & undiquaq; perspectam fidem,  
à Serenissimo Principe ac Domino DN. ADOLPHO FRIDERICO  
gloriosiss. memo. Duce Mecklenb. Principe vetustæ gentis Henetæ, Sverinæ  
ac Ratzeburgi, ut & Comite Sverinensi, terrarum Rostochii & Star-  
gardie Dynasta, tutorio nomine in Consiliarium electus est. In  
qua dignitate cum laude permansit usq; dum Anno 1656. ex  
hac miseriarum valle ad cœlestem vocaretur patriam. Mater  
ipsi fuit fœminæ virtutum decore fulgidissima SARA BACKMEISTERS  
Viri Admodum Rev. & Præclarissimi DN. LUCÆ BACKMEISTERI  
SS. Theol. Doctoris & Profess. Publ. in hac alma rosarum, postea super-  
intendentis Districtus Gustroviensis & Rostochiensis fidelissimi & Consi-  
storii Provincialis Consilarii gravissimi, filia. Cumq; in spem æter-  
næ salutis per sacrum baptismum esset regeneratus & paulatim  
ex eph-

7  
ex ephebis excessisset, optimi ejus parentes impense operam  
navarunt, ut virtutibus voluntatis ac intellectus rite informa-  
retur, adeoq; nihil in se desiderari passi sunt, quod ad felicitati-  
em ingenuæ educationis pertinere videbatur, adeoq; eum  
non tantum Scholæ publicæ Rectoribus, verum etiam privatis  
præceptoribus erudiendum commendarunt. Postquam itaq;  
tam Græcæ quam latinæ linguæ, uti etiam Philosophiæ instru-  
mentalibus ac practicæ bona jecisset fundamenta; Anno 1649.  
mense Septembri consilio boni parentis ablegatus est in hanc  
Academiam, in qua cum laude primum academicæ vitæ cur-  
sum absolvit. Neq; otiosus esse voluit spectator, sed, ut ad im-  
mensa jurisprudentiæ volumina evolvenda, & ut dignus existeret  
auditor Justiniani eò expeditius se præpararet, sub Præsidio  
*Reverendi & Clarissimi Viri DN. M. MATTHÆI VOLANDI* hodie,  
apud Francofurtenses Ecclesiastæ fidelissimi, præcepta politica,  
& moderante *Viro Amplissimo & Consultissimo DN. JACOBO SEBA-  
STIANO LAURENBERGIO J. U. D & PP. Collegâ nostro honoratissimo,*  
cursum Universalis Historiæ absolvit, postea animum discen-  
di cupidissimum ad Jurisprudentiam fervidissimo conatu ap-  
plicuit. Et cum totius legitimæ scientiæ prima elementa ex  
fideli manu ductione Excellentissimorum Dominorum Profes-  
sorum feliciter hausisset, Anno 1651. huic Academiæ valedixit,  
& perlustrata Academia Lipsiensi, & Marpurgensi in Giesensem  
se contulit, in qua præcipuè dirigentibus *Viris Magnifico, Consul-  
tissimis & Amplissimis DN. D. JOHANNES HELVICO Sinold* cogno-  
mento *Schüsen* illo tempore *P. P. hodie Sacr. Cæs. Maj. Consiliario Præ-  
torio-Aulico gravissimo, & DN. D. JACOBO le Bleu P. P. & DN. D.  
MARTINO MULLERO P. P.* egregios in utroq; jure fecit progres-  
sus. Anno 1653. visa Heidelbergâ in Tubingensem progressus est  
Universitatem, ubi sub moderamine *Viris Amplissimis & Consultissi-  
mi DN. D. WOLFGANGI ADAMI LAUTERBACHII P. P.* de Beneficio  
excussionis disputationem proprio Marte conscriptam publi-  
cæ luci

33

cæ luci



cæ luci exposuit. De hinc in Argentoratensem & Basileensem  
academiam concessit, & inde perlustratâ Spirâ Nemetum seu  
Dicafterio Imperii summo & aliis ad Ripam Rheni sitis civita-  
tibus Coloniam Agrippinam venit: & cum ibi ad aliquod tem-  
poris spatium substitisset, celeberrimas etiam Bataviæ civitates  
& præcipue academias salutavit, neque tam ædificiorum splen-  
didam structuram, quàm facundam & fere stupendam DN.  
*VINNII, DN. MÆSTERTII, DN. VOSSII & DN. BOXHORNII* eru-  
ditionem admiratus est. In Patria redux non potuit diu latere  
ingenium bene excultum & publicis negotiis aptum; quare  
*Generosus & maxime Strenuus DN. WARNER de MEDING heres in*  
*Schnellenberg Ducatus Brunov: & Lunæb. Mareſchallus hereditarius,*  
ad Ephoriam filii *Nobilissimi DN. FRIDERICI GEORGII* eū vocavit,  
quem sollicita cura in Lipsiensem & Argentoratensem Acade-  
miam duxit. Cum autem interim comitis sui parens ultimum  
naturæ debitum solvisset, dimissionem modeste impetravit:  
Neq; Viro bono quietē appetenti licuit esse otioso, siquidem *Ge-  
nerosus & maxime Strenuus Vir DN. Heinrich ab Alfeld Eques, &*  
*Nobilis Holsatus hereditarius in Lehmkuhlen / Hilligensted & Krumo-  
mendieck Sac. Reg. Maj. Dan. & Norvv. Chiliarcha bellicosus,* illum  
Ephorum filio optimo DN. *BALTHASARI* præfecit, quem Anno  
1655. ex Academia Helmstadiensi in Argentoratensem comita-  
tus est. Cumq; Anno 1657. Francofurti ad Mœnum instaret  
Electio moderni nostri Imperatoris semper Augusti, ad augu-  
stissimam illam solennitatem ubi *Potentissimi & Serenissimi Regis*  
*Daniæ & Norwegiæ Plenipotentarius, Illustrissimus Comes & Dominus,*  
*DN. CHRISTIANUS Comes de RANTZOV, Dynasta in Breitenburg /*  
*Eques, Sac. Cæsar. & Sac. Reg. Maj. Dan. & Norvv. respectivè Secretioris*  
*& Camera Consilii Consiliarius, ut & Regnorum Daniæ, Norwegiæ, Du-  
catuum & Ditionum Præfectus Prætorio, Præses Consilii Status, Omnium*  
*Consiliorum Assessor, Gubernator & supremus præfectus in Steinburg /*  
*Süder Diechmarsen & Langeland Dominus noster gratiosissimus,* eum  
cum suo comite ut ex rerum argumentis Imperii jura addisce-  
rent,

rent, in suam aulam & secretiorem curiam admisit. Felici certe sydere eo advectus est Dominus Candidatus, cui licuit esse tam felici, ut inter ejus curiam versaretur, cujus excellam animi magnitudinem, serenissimas naturæ dotes & clementiã Principe dignam, quisq; virtutis justus æstimator admiratur, quamq; ego non semel, ut ut immeritus expertus sum. Quare si eam propter egregia in me clementer collata beneficia & gratiosissimum affectum conticerem, in debitã gratæ mentis obligationem committerem. Dein cum exitinere redux ab illo Ephoratu dimissionem modeste obtinuisset, à *Serenissimo Principe ac Domino, DN. GUSTAVO ADOLPHO Duce Mechlenb. Principe Vandalorum, Sverini ac Ratzeburgi, Comite Sverin. terrarum, Rostochii & Stargardiæ Dynasta, Domino nostro clementissimo, gratiosissime* oblatum munus Secretarii legationis humillime suscepit, & in præsentiarū usq; summã cum fide illi præfuit. Nactus est hac ratione amplissimam occasionem discretos populorum mores, ordinatas diversarum Rerumpb. formas, & mira curiarum fata introspectendi. Missus enim in aulas Imperatoris invictissimi, Regis Sveciæ potentissimi, Ducis Saxonix Serenissimi, & aliorum Principum Illustrissimorum, non stupido pectore sed exquisito ingenio omnia illa quæ ad Statū publicū facere videntur curiose perquisivit. Quare etiam nō tā cognationis quã virtutis intuitu allectus est *Magnificus Consultissimus & Excellentissimus Vir DN. THEODORUS REINKING. Hereditarij in Wellingsbüttell JC. Sac. Reg. Maj. Dan. & Norw. Consiliarius & Cancellarius Schlesvicensis Holsaticus,* ut ipsi filiam pudicissimã & omnibus virtutibus decoratissimam *MARIAM CATHARINAM* anno præterito in matrimonium haud invitus collocaret. *Cum autem & privati & publici juris fundamenta, non tantum in Scholis fideliter addidicisset, sed etiam in rerum experimentis abundè sibi comparasset, non ex vaga aliqua & vana ambitione, sed ad majores ausus continuandos iterum in Regiam hanc Scholam se contulit, ut summos in jure honores, quos dudum promeruit,*

meruit, modeste peteret. Cum itaq; nuper animi sui sensa mihi explicasset, facile illum tantis & naturæ & eruditionis dotibus instructum intellexi, ut de futuro communi suffragio Ampliſſ. Facultatis nullus dubitarem. Quare volentem riguroso examini pro more submissi, in quo se talem præbuit, uti omnes esse debent qui cum laude dignitatem merentur. Ut autem publicam attestationem suæ eruditionis etiam obtineret, Disputationem DE CURSORIBUS PUBLICIS, POSTÆ dictis. 20. d. Martii doctæ & studiose elaboratam publicæ Doctōrum disquisitioni ac velitationi exhibere constituit. Quare pro officii quo in præsentiarum fungor ratione Magnificum Dominum Rectorem, Dnn. Professores excellentissimos, Consules Reipubl. Urbicæ gravissimos, Doctores ac Licentiatos omnium Facultatum amplissimos, Senatores, prudentissimos, Ecclesiastas fidelissimos, Magistros philosophiæ probatissimos, Studiosos virtute ac genere florentissimos, deniq; omnes literatos & literarū fautores eximios, officiose & debita cum humanitate amice invito & rogo, ne dedignentur suâ honorifica præsentia præfato die, actum hunc inauguralem & solennem augustiorem reddere, & Præcellentem Dominum Candidatum vel doctæ exercere vel de jure disputantem audire, linguisq; favere. Redundabit hoc officium in Reipb. litterariæ salutem, Ampliſſ. Facultatis honorem, & Dn. Candidati commodum ac dignitatis augmentum. Idcirco omnes ac singuli pro virili annitemur ne ulla beneficii particula ingratis sit collata: Deus secundis ventis velit nostro aspirare conatui & secundare gressus! Valet.

Dabam sub sigill. Facult. VII. Eid. Mart.  
Anno 1662.







*Exercit. ad Germ. Schutten / Treckschütten*  
*Dacquet Booth /* quæ inter Angliam, Galliam  
ipfas Bataviæ civitates, modico pretio maximè  
etiam in superiori bello in Dania innotuit,  
à Svecis essent impediti, cursoriæ naves Hæ  
Svecorum ex Falstria Varnemundum & Vil  
meabant.

XXX.

*Stratorum* etiam officium si in Germ  
Statuum Imperii esset, ut iter facientes cum  
veredarii minori cum damno, ac ampliori lu  
vere, longe plus enim propter itinera corr  
rum complanationi posset impense sufficere  
munus, ut curam pontium & itinerum ha  
ordinarent & complanarent. Quamvis aut  
hoc significatu olim exercitum commodè c  
ceret, Perez. in *Q. ad tit. de stratoribus. lib.*  
*Proc. n. s.* tamen si iidem hodie bono publico  
consulerent, non deesset operæ pretium, cu  
rii debeant jure viarum publicarum curam ha  
S. ferner Landfried & 1555. S. nach dem aber  
tus constitui fuere, qui ob id viocuri, seu v  
Paul. s. sent. 6. S. 2. Frider. de Interd. tit. 3.  
& si quid, sumtus autè ex ærario publico sum  
incolæ conferre tenentur, neq; SS. Ecclesiæ  
Eccles. l. 4. C. de priv. dom. Aug. l. u. In Gallia  
des ports, passages & chemins. Tholof. in Syn  
XXXI.

*Objectū Cursorum* sunt, viæ quas percurrunt  
atq; homines quos vehunt. Viarum quædã p  
quædam vicinales. l. 2. S: 22. ff. ne quid in loc  
quæ ad Remp. Romanã pertinent arg. l. 1.  
*βασιλική*, regiæ, prætorix, consulares, l.  
ult. de loc. & itin. hodie Imperatoriæ freye  
Reichsstrassen / offene und Landstrassen Sixti  
Feud. lib. 5. c. 20. n. 1. Gail. 2. de PP. c. 1. n.  
B

Gallien  
m, ac inter  
stant. Quod  
stres cursus  
& iridem  
antissime re-

r, ex gloria  
moditate, &  
ursus absol  
tantum via  
Stratorum  
interruptas,  
stratorum in  
tantum respi  
4. ff. de offic.  
communiter  
Status Impe  
le anno 1548.  
ri Magistra  
es dicti sunt.  
de via public.  
nisi deficient  
. 7. C. de SS.  
ntur Maistres

rum sarcinæ,  
quædã privatæ,  
viæ dicuntur,  
vocantur viæ  
S. 22. l. ult. S.  
strassen / freye  
. 2. Rosenth. de  
Principum  
terri-

